



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 70. Rex Lutetiam variis modis occupare aggressus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](#)

§. LXX.

Sæcul. XV.

A. C. 1429.

*Rex Lutetiam variis modis occupare  
aggressus.*

Rex Carolus VII. Sylvanectum tendit,  
Lutetiam oppugnaturus; verum pri-  
usquam ulterius progrederetur, a Bedfor-  
diæ Duce in planicie Montepillensi ad flu-  
vium, qui Baronem alluit, & recta Syl-  
vanectum procurrit, ad pugnam provoca-  
tus est. Occurrit sibi invicem uterque  
exercitus, ac repetitis velitationibus  
utrinque pugnæ præluditur, quamvis  
nunquam ad manus ventum esset, sed  
motis tandem castris discessum, Anglis  
intra propugnacula sua receptis, Gallis  
vero in loco duabus leucis ab hostibus  
remoto castra metantibus. Rex sub fi-  
nem mensis Augusti ad fanum S. Diony-  
sii processit, nullo obstante receptus,  
postmodum Cupellam venit, rursum Pari-  
sios occupare cogitans. Suadebat Virgo,  
ut urbem ea ex parte, qua S. Dionysii por-  
ta patet, facto impetu aggrederetur; ve-  
rum plurimis fossis undique aqua reple-  
tis, atque accessum ad urbis moenia prohi-  
bentibus, coacta est Virgo accepto in crure  
vulnere cum Alensonio, & Borbonio Du-  
cibus terga vertere, & San-Dionysium,  
ubi Rex agebat, reverti. In eodem op-  
pido die vigesima nona Augusti cives La-  
tiniaci Carolum VII. adierunt, obsequia

*Hist. Eccles. Tom. XXVI. Qq sua*

**Sæcul. XV.** sua illi deferentes, Rex tamen ad eorum  
**A. C. 1429.** urbem nonnisi in mense Septembri per-  
 venire potuit, inde Montargium profe-  
 ctus.

## §. LXXI.

*Turbæ Gallorum in cauſſa Vice-comi-  
tatus Thoraciensis.*

*Vid. 3. tom. Mem. Com-  
in. edit. an. 1723. p. 493.* Quamprimum Rex oppido S. Dionysii excesserat, etiam Gallorum præsi-  
 dium inde Silvanectum abiit, quo com-  
 perto Angli illico locum occupantes diri-  
 puerunt. Ex adverso Galli Lavillum ce-  
 perunt. Rex autem in Burgundiam re-  
 gressus est, cæpto jam pacis negotio cum  
 Duce dictæ Provinciæ ultimam admotu-  
 rus manum; verum res male vertit ob-  
 diffidia, quæ circa Vice-comitatum Tho-  
 raciensem in Provincia Pictaviensi situm  
 inter Gallos exorta sunt. Hujus quippe  
 possessionem, cum occupasset Trimolius,  
 & Ludovicum Ambaciensem custodiæ de-  
 disset, ejus jura Connestabilis, utpote san-  
 guine eidem junctus, pro viribus defende-  
 re studebat; contra quem Trimolius Re-  
 gem, quem sibi in omnibus obsequentem  
 habebat, eo induxit, ut arma Connesta-  
 bili inferret. Inde factum, ut hac Gal-  
 lorum discordiâ non parum crescerent An-  
 glorum compendia. Burgundiæ Dux,  
 quamvis Aureliam obsidione liberatam  
 esse, haud ægre ferret, prosperos tamen,  
 qui